Cl. D. Henrico Flockenio Petrus Wittewrongts   De ao 1643. 312.

Pacem à Rege ac Principe pacis.

Vir Reverende, Doctissime ac dilecte in Christo frater.
Veneranda nostra Synodus Borealis Duyckhuysa ante septi-
manas aliquot authoritate DD. Ordinum congregata
intelligens lites illas et contentiones, quæ inter DD. Pro-
fessores et Pastores Ecclesiæ et scholæ vestræ, idq[ue] de præci-
puis S. religionis Reformatæ capitibus, cum orthodoxiæ
periculo exagitabant, de die in diem inter vos accrescere
et augeri, ministerium adhuc divisum et in partes abiisse, of-
ficii sui esse judicavit, secundas hasce admonitorias ad
Clarissimos, Doctissimos et. D. Pastores, Doctores et Professo-
res Ecclesiæ et illustris scholæ vestræ dare, quibus vos ad
orthodoxiæ tutelam, veritatis et pacis studium, rursus
exhortaretur. Familiaritas illa, quæ ante annos aliquot
cum in una Leydensium nos exercebamus palæstra, inter
nos solebat esse major, me movit ut hasce inclusas ad re-
verentiam Tuam transmitterem, nullus enim dubito, quin
prima occasione eas toti synedrio sis traditurus, quemad-
modum spero priores nostras Amplissimo Magistratui
vestro curâ tuâ traditas, quas per Reverendum Collegam
meum D. Badium ante septimanas aliquot ad te trans-
mitti curaveram. Plura nunc non addam; Deus veri-
tatis et pacis vobis consilia suggerat, faxit denique ut
Ecclesiæ et scholæ vestræ pax restituatur, restituta ser-
vetur, atq[ue] in æternum firma prostetur. Tibiq[ue] intereà
et in re privata et in functione publica fausta omnia
apprecamur, te Deus O. M. incolumem Tuis diutissimè con-
servet. Raptim Amstelodami 30. Januarij 1643.

Tuus in Dño fra.
Petrus Wittewrongts
Ecclesiastes Amstel.

Inscriptio.
Reverendo, doctissimo, piissimo Dn.
D. Henrico Flockenio, Verbi divini
in Ecclesia sua Ministro fidelissimo
Bremam.

Salutem. Animo meo Charissime Dñe Compater,   313.
et Frater.
Eucharisticas nrãs Tigurinis Evergetis complacuisse,
ē quod nb. gratulemur. Tibi etiam ego et D. Orocus
noster, ingentes agimus grãs pro officio tam benevolē
nb. præstito. Certe Deum ardenti invocamus animo, ut

has angustias à nobis velit averruncare ut tandem
nostrum panem, nostro nunquam labore ac sudore partum,
et non alienum edere possimus. Tanta nostra non foret
ξενοχωρία, si major esset politicorum et eorum, qui
ad collybum sedere, erga nos fides: quippe qui suam
duntaxat cuticulam curant, quicquid nobis fiat. Nostri
scholarchae (inter quos et ego sedeo, sed voto meo cae-
teris omnibus impar) iterum pararunt litteras ad Basi-
leenses et Bernates προστάτας: sed eadem forma,
quâ et Tigurinos ac Schaphusianos expugnarunt
ad συλλογὴν communem, cujus egeni docentes in
schola nequaquam participes fiunt. Quod tibi
in aurem. Nos in collegio docentes nomina nostra
sigillatim Bernatibus dedimus. Nunc vereor ut
vel ἐν ~~[illegible]~~ καθόλου vel ἐν καθ' ἕκαστα
quicquam impetrimus. Omnia θεῷ ἐγχείρισα. Tua
erga me προθυμία nunquam apud me intermorietur.
Serva mihi hunc mihi animum tuum, quoad
vivam. Nam diu non vivam, ut corpusculi se-
nescentis taedium indies mihi minatur. Animus tam
viget, nec fatiscit. Usque laboro, et sine fastidio.
Elaboravi abhinc annis aliquot τὰ τοῦ πατρὸς
τοῦ μακαρίτου μελετήματα et miserum quan-
tum doleo, nunc me laborum meorum fructum
tam aegre posse percipere. Tomi primi pars
prima, Ultrajectinis consecrata, typis est absoluta,
sed in scriniis librariis adhuc diem suspensa de-
tinetur, nec distrahi potest, antequam a Genevensi-
bus melius caveatur ne plagiarii iterum impensis
viduae Rosanae invadere queant. Interim ego pri-
vos meis exemplis quae amicis donavi: et reliquae par-
tes mentem remanent, donec mihi forte fiat,
quod hominibus solet. Recte fecisti, quod Gotho-
fredo nostro aurem vellicasti. Ego parum spero: quo

eb

antiquo Genevensium librariorum fraudes perdidici. Scripsi ad Consistorium et Magistratum ipsum acriterque questus sum. Sed quid impetraturus sim, dies dabit. Vigebo quoad potero. Post elaborata illa Theologica, miro quodam fato in manus meas pervenit integer commentarius de Lingua latina Excellentissimi J.Cti Huberti Gifanii, quem, ut nosti, illustris Vir Gaspar Scioppius Comes de Claravalle olim, cum domesticus esset Ingolstadii illius Viri, summa industria compilavit, et eo nomine varie à viris doctis plagii fuit accusatus. Quando Neuhusii essem, ubi et te discipulum meum habuisse cum gaudio recordor, Collega meus Conr. Schoppius mihi suppeditavit excerpta quaedam hujus Commentarii, quae ego dum Hanoviae vivo publicè edidi Aº 1624. sub hoc titulo. OBERTI GIFANII Observationes Singulares in Linguam Latinam. Et puto te vidisse. Atque quidem magnopere me Remp. litterariam mihi demeruisse visus sum: ratus, omnia me Gifaniana protulisse, praesertim cum et in aliorum manibus alia non volverent, adeo etiam à Philologis Gifaniana non aliter laudarentur. Et talia quaeque mea esse miscellanea, mihi fermè persuadeo: quod jam subdubitem nunc nihil. Nam illud proprium verbi abundare in excerptis à me evulgatis planè non extat. In integro verò commentario quem habeo (ab initio ἀυτό)γραφον ipsius Gifanii usque ad litteram C. nomen Clemens) post septem, octo paginas, ita Gifanius id verbum explicat: quae de industria apponam:

Abundare et Abundantia et Abundanter: cui contraria, Egere inopia, satis nota. Sed tamen Abundantia verbo Ciceroni usitatissimo hodie rarò utuntur. De abundanter infra in particulis. Abundare verdum idem valet quod, effluere, defluere, discedere, exundare, existere. Cicero, Afluere dixit: de quo infra. Quare Nonio

quidem notum. Lucretius eo ita saepe utitur de imaginibus Epicuri, quas à rebus et corporibus fluere, et abundare dixit: ut in Collectaneis notavi. uti lib. IV. v. 88 lib. 5. v. 18. ita ferè lib. 6. v. 265 sic et Virgil. lib. 1. Georg. v. 115. et lib. 4. v. 139 et ibid. v. 484 ita ferè et Cicero lib. 1. de Divina: cap. 29

Et quae sequuntur plurima alia exempla.

Confer quaeso cum Meis miscellaneis. Gifani opus planè incomparabile, quod in manibus meis nunc versatur et propediem Argentinae sive Cretae excudetur, ad futuram scil. aestatem. Oro te, mi suavissime Dn. Tossane, pateris te exoravi, ut ad proximas Nundinas per librarios vestros, tuum exemplum manuscriptum habere queam, eo fini, ut cum meo comparare possim, num forsan aliud quid exinde meo addi possit. Ego certus sum me ipsissimum Gifanii commentarium habere sicut ab ipso olim conceptus fuit. nam ut dixi proprium usque ad Clemens in littera C. ipsius Gifanii manupropria ut plurimum descriptum est, alia pauca amanuensis quidam descripsit. Reliqua ab homine diligenti, qui αὐτόγραφον Gifanii nactus fuit, sunt descripta: sive is fuerit Gaspar Scioppius sive Melchior Goldastus, sive alius quis. Ego sanè non patiar hunc Thesaurum apud me solum defodi: sed Bono publico quantocius communicabo. Quod si mihi innotuisset, ubi locorum nunc viveret Dn. G. Scioppius, ea causa ad eum perscripsissem. Operi praefigam praefationem, in qua fatum hujus libri lectori explicabo: quâve ratione ad manus meas pervenerit. Magno verò desiderio tuum quoque exemplum Ms. cupio videre: nec dubito, quin optimae meae huic voluntati ad proximas nundinas sis satisfacturus. Non ubibus mihi indictus in praefatione. Tuum verò exemplum continuò per eosdem libra-

rios

rios Basileenses, per quos miseris, tibi remittam, ubi Biduum v[el] Triduum illud perlustravero et cum meis contulero. Ac quamprimum meum fuerit excusum (quod ad nundinas Autumnales futurum spero) exemplum quoque à me accepturus es. Satisfac igitur meo huic desiderio boni publici ergò. Et Satisfa-cies, scio. Significa etiam (quod iteratò abs te peto) ubi vivat Scioppius noster, quem olim Heidelbergae familiariter noveram, nec non per litteras postea. Servo etiam libb. ejus Criticos, quos mihi dono dederat et quem valde observo, ob singularem eruditionem: modo mansisset in rectâ πίστει τῆς πίστεως. Opus Gifanianum typis editum illi dono dabo, modò me doceas, ubi vivat. quod scire admodum desidero. Delectant me studia humanitatis, quae à teneris conteti tractavi. Habeo Nonium Marcellum Grammaticum à me cum codice Manuscripto Bibliothecae Palatinae sedulò collatum ac recensitum novâ prorsus methodo. Si vita supersit, editurus quoque sum. Sunt et plura alia apud me, quae è tenebris eripere gestio. Nihil tamen magis mihi curae, quàm opus Theologicum Patris mei: cui multa quoque mea inserui, ut videbis suo tempore. Tantum Genevenses annum nobis remeli-ginem objiciunt. Partem secundam Reip. Tigurinae, suadente suo Dn. Breitingero, dedicabo tertiam Archiepiscopo Armachano Jacobo Usserio: à quo nuper litteras accepi. Quartam Reipub.ae Daventriensi. Restabunt postea duo alii tomi Scriptorum διδακτικῶν καὶ ἐλεγκτικῶν, quae jam à me ad [illegible] sunt elaborata. Fortassis an ἡ εἱμαρμένη mihi telam vivendi abrumpet antequam votis meis satisfiat. Jam lente procedit vidua Rosana quare impensas facere oportet. Miror profecto cur Dn. Amirant mihi non mittat exemplum Ovidii pro quod è mea Bibliotheca accepit ode manum fratris sui quam inibi viderat. Notius meum

mihi relinquere debuit, quo sanè ægerrime careo.
Tribus vocibus iterum illum moneo. Vale delitium
et solatium meum. Quid vivat antiquus meus a-
micus M. Lucius, fac sciam, atque illum ex me saluta
ut et Cl. virum D. D. Zwingerum. Hanoviæ a. d.
24 Julii. 1643.   ὁ σὸς ἐκ ψυχῆς

Miscellanea, Miscellanea Miscellanea   Ἰσαάκιος ὁ Ἀλδρέλ
tua fac oculis meis usurpare queam

A Monsieur
Monsieur Toussaint principal
du College à Basle.

314. S. P. D. Mi dilectissime Dn. Compater: Perlectis tuis postre-
mis tantum non extra me raptus sum. Ita enim me ob-
ruis tuis benefactis. Non satis fuit, me tot praeclaris meritis
affecisse, sed laboras insuper, me accumulare aliis. Quæ
sanè indoles tua efficit, ut te non pro Amico modò habe-
am, sed pro fratre, immò patre, qui me senem iam pro-
clivi animo fores. Tali quidem ἀδελφῷ benevolentem ego
valde carere volui, ac me subtrahere è coetu τῶν βροτῶν
ne sic cogar esse aliis odio. Sed cùm per mea vota non
licet abire, utique pati cogor talem τῶν ἐνεργετούμενων,
quam me ἀπληστίαν, qualis perfecto tua est. Spem mihi
facis Multhusinæ λογίας, quam toto pectore amplexus
sum, tuoque consilio usus, ad Amplissim. Coll. et Senatores
scripsi κατὰ τὸ πρέπον, gratiasque debitas egi: tuique autem
erga me ἔνδειγμα, non sine honore tuo largiter illis
exposui. Quare, mi Charissime, fac id, quod semper
fecisti et litterulas meas Clarissimo Dn. Chimeleio ita com-
menda, ut intelligat, beneficium illud non in hominem
nauci aut nullius ponderis collatum iri, sed eum, qui gra-
to ac animo apud posteros monumentum illius beneficen-
tiæ sit positurus in scriptis: dummodò per ætatis mala
annos superstites id licitum mihi sit. Qua fiducia me
firmiter sustentat. Etsi enim corpore usque et usque ἀδυνατ,
tamen animo sum, qui semper fui. Ubi accepero quod
spero, de commodo Eucharistico cogitabo. Nec tui imme-
mor